

*Qui se exaltat, humiliabitur;
et, qui se humiliat, exaltabitur.*

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Lucam 14, 1. 7-14

¹ Factum est
cum intráret Iesus in domum
cuiúsdam príncipis pharisæórum
sábbato manducáre panem,
et ipsi observábant eum.

[2-6]

- ⁷ Dicébat autem ad invitátos parábolam,
inténdens quómo modo primos accúbitus elígerent,
dicens ad illos:
- ⁸ «Cum invitátus fúeris ab áliquo ad núptias,
non discúmbas in primo loco,
ne forte honorátior te sit invitátus ab eo,
- ⁹ et véniens is qui te et illum vocávit,
dicat tibi:
“Da huic locum”;
et tunc incípias cum rubóre novíssimum locum tenére.
- ¹⁰ Sed cum vocátus fúeris,
vade, recúmbe in novíssimo loco,
ut, cum vénerit qui te invitávit,
dicat tibi:
“Amíce, ascénde supérius”;
tunc erit tibi glória
coram ómnibus simul discumbéntibus.
- ¹¹ Quia omnis, qui se exáltat, humiliábitur;
et, qui se humiliat, exaltábitur».
- ¹² Dicébat autem et ei, qui se invitáverat:
«Cum facis prándium aut cenam,
noli vocáre amícos tuos neque fratres tuos
neque cognátos neque vicínos dívites,

ne forte et ipsi te reinvitent et fiat tibi retributio.
¹³ Sed cum facis convivium,
voca pauperes, debiles, claudos, caecos;
¹⁴ et beatus eris,
quia non habent retribuere tibi.
Retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum».

Verbum Domini.